

Alcibiades II (Latin, Ficino)

ΑΛΚΙΒΙΑΔΗΣ ΙΙ

Plato

tr. Marsilio Ficino

Plato Scroll · plato-scroll.netlify.app

Alcibiadem ad sacrificium proficiscentem et cogitabundum, qui tamen suarum cogitationum causam minime posset explicare, monet Socrates quam difficile sit et periculosum Deum precari, cum saepe homines, dum arbitrantur se bona a Deo petere, mala petant, quia scilicet ignorant ea quae nosse et necessarium est et utile. Huius ignorantiae quaedam profert remedia, non ut doceat quae sit legitima precatio (fatetur enim se ignorare) sed ut minus absurde minorique cum periculo homines Deum precentur.

Socrates: Deumne, o Alcibiades, precaturus accedis?

Alcibiades: Et maxime quidem, o Socrates.

Socrates: Tristitiam quandam prae te ferre videris, et oculos in terram figere, tamquam aliquid ipse tecum cogitans.

Alcibiades: At quid cogitem, o Socrates?

Socrates: Maxima, ut mihi videtur: nam dic per Iovem obsecro, nonne putas deos eorum, quae vel privatim vel publice precamur, nonnumquam concedere partim, partim negare, atque id his quidem annuere, illis vero minime?

Alcibiades: Omnino quidem.

Socrates: Nonne igitur tibi videtur magna providentia opus esse, ne quis seipsum fallat, dum magna petit mala, credens bona se petere; deorum autem hic sit habitus eaque ratio, ut largiantur quae quis postulat? quemadmodum Oedipum ferunt obsecrasse Deum, de regno paterno, ut filii ferro decernerent. Cumque ei licuisset praesentium tum malorum aversionem poscere, alia insuper imprecabatur. Unde ad eum eventum ista venerunt atque ex iis alia multa et gravia, quae referre singula nequaquam opus est.

Alcibiades: At tu furem quidem hominem in exemplum adduxisti: nam quem putas sanae mentis hominem audere talia petere?

Socrates: Insanire nonne contrarium est ei quod est prudentem esse?

Alcibiades: Prorsus.

Socrates: Num ex hominibus alii prudentes esse, alii imprudentes videntur?

Alcibiades: Videtur sane.

Socrates: Age itaque consideremus quinam isti sint. Esse enim alios quidem imprudentes, alios vero prudentes, nonnullos insanos, iam convenit.

Alcibiades: Convenit.

Socrates: Praeterea bene valentes aliqui sunt.

Alcibiades: Sunt.

Socrates: Aegrotantes alii.

Alcibiades: Omnino.

Socrates: Non ergo iidem sunt.

Alcibiades: Non certe.

Socrates: Suntne alii quidam qui neutrum istorum patiantur?

Alcibiades: Nequaquam.

Socrates: Necesse est enim hominem vel aegrotare, vel non aegrotare.

Alcibiades: Videtur.

Socrates: De prudentia vero et imprudentia idem iudicas?

Alcibiades: Quomodo dicis?

Socrates: Hominem aut prudentem, aut imprudentem, aut tertium praeter ea velut medium quiddam esse oportere putas, quo nec prudens nec imprudens sit?

Alcibiades: Nihil profecto.

Socrates: Necesse igitur alterum istorum pati.

Alcibiades: Apparet.

Socrates: Recordaris concessisse te insaniam prudentiae contrariam esse?

Alcibiades: Equidem.

Socrates: Et medium nullam rem esse tertiam quae hominem nec prudentem nec imprudentem efficiat?

Alcibiades: Consensi quidem.

Socrates: Quinetiam duo esse eidem contraria quo pacto possunt?

Alcibiades: Nullo.

Socrates: Imprudentia igitur atque insania idem esse videntur.

Alcibiades: Videntur.

Socrates: Si ergo omnes imprudentes insanire dixerimus, recte dicemus.

Alcibiades: Sane.

Socrates: Et ex tuis aequalibus, necnon aetate maioribus si qui sunt imprudentes (uti re vera sunt) insanos esse. Nonne putas perpaucos esse in hac urbe prudentes, imprudentes plurimos, quos insanos appellas?

Alcibiades: Equidem.

Socrates: An censes nos tutos inter hos insanos ita versari, quin ab eis percutiamur ac verberemur, et quaecumque furiosi facere consuevere patientes, iamdudum poenas non fuisse daturos? Sed vide, o beate, ne aliter se res habeat.

Alcibiades: Quo pacto se habet, o Socrates? Apparet enim non ita esse, ut putarem.

Socrates: Non certe, ut mihi videtur, sed hoc fortasse pacto cogitandum est.

Alcibiades: Quonam?

Socrates: Dicam tibi. Ponimus aliquos aegrotantes esse, necne?

Alcibiades: Omnino quidem.

Socrates: Numquid necessarium opinaris omnem aegrotum cruciari duntaxat podagra, vel febri, vel lippitudine? An etiam si nihil istiusmodi patiatur, posse tamen aliis morbis affici, cum multae sint morborum species praeter istas?

Alcibiades: Sic mihi videtur.

Socrates: Omnis lippitudo morbus tibi videtur?

Alcibiades: Mihi certe.

Socrates: Et omnis morbus etiam lippitudo?

Alcibiades: Non mihi quidem, nescio tamen quid afferam.

Socrates: Si dicenti mihi mentem adhibeas, et ambo simul investigemus, fere quod volumus consequemur.

Alcibiades: Adhibeo, quam maxime possum.

Socrates: Nonne convenit inter nos lippitudinem omnem esse morbum, non omnem tamen morbum lippitudinem esse?

Alcibiades: Convenit.

Socrates: Et recte quidem consensisse videmur. Etenim febricitantes aegrotant omnes, non tamen quicumque aegrotant etiam febricitant, vel podagra aut lippitudine afficiuntur. Sed omne quidem huiusmodi communiter morbus est: at ii quos medicos appellamus, differre dicunt illorum curationem: non enim omnes aut similes sunt, aut similiter pertractantur, verum secundum vim propriam singuli, morbi tamen sunt omnes. Quemadmodum opifices aliquos esse

ponimus, nonne?

Alcibiades: Prorsus.

Socrates: Et cerdones, et fabros, sculptoresque et quamplurimos alios, quos referre singulos nihil opus est, quive partes opificii discretas habent: ac omnes quidem opifices sunt, non tamen fabri omnes, neque coriarii, neque sculptores, at cuncti generatim opifices.

Alcibiades: Sic est.

Socrates: Eadem quoque ratione imprudentiam inter se plurimi partiuntur, et qui maiorem sortiuntur imprudentiae partem, insani furentesque vocantur; qui vero aliquanto minorem, stolidi atque attoniti. Qui autem honestioribus vocabulis eadem significare volunt, partim quidem magnanimos appellant, partim ineptos, quidam non malos, innocuos et inexpertos et stupidos. Invenies quoque alia multa nomina, quibus omnibus imprudentia significatur. Discrepant autem, ut in superioribus discrepare apparuit, ars ab arte, et a morbo morbus. Tibi vero quid videtur?

Alcibiades: Idipsum.

Socrates: Sed ut redeamus unde digressi sumus, propositum fuit in disputationis exordio qui prudentes, quive imprudentes essent diiudicare. Convenimus autem tales aliquos esse, nonne?

Alcibiades: Convenimus.

Socrates: Prudentes existimas quicumque agenda dicendaque cognoscunt?

Alcibiades: Equidem.

Socrates: Imprudentes eos qui neutra vident?

Alcibiades: Eos ipsos.

Socrates: Nonne qui utraque haec ignorant, seipsos latent, et agentes et loquentes quae non oportet?

Alcibiades: Apparet.

Socrates: Ex his hominibus unum, o Alcibiades, Oedipum esse dicebam. Reperies quoque nostris temporibus plurimos non ira concitos, ut ille, nec qui mala se, sed bona potius exoptare putent. Ille siquidem ut non optabat, ita nec putabat. Sunt vero nonnulli, qui horum contraria patiuntur. Reor equidem te primum, si forte Deus ille ad quem exorandum accedis, sese oculis offerens, te prius quam aliquid obsecrares interrogaret, satisne tibi sit Atheniensium dominatu potiri: quod si hoc vile et exiguum quiddam aestimares, adderet et Graecorum omnium; et si viderit te neque istis etiam acquiescere, nisi totius etiam Europae adiiciat, neque id tantum adiiceret, sed cum cuperes ut uno eodemque die sentiret omnes Alcibiadem Cliniae filium dominum esse, atque ideo haec tibi concederet omnia: reor, inquam, ab eo te ingenti cum laetitia rediturum, ac si maxima bona esses feliciter consecutus.

Alcibiades: Arbitror, o Socrates, et quemcumque alium, quisquis eandem sortem assequeretur.

Socrates: Vitam vero tuam, an cum Graecorum omnium, atque etiam barbarorum regione et dominatu commutares?

Alcibiades: Non, ut opinor, quippe cum nullo modo usus essem.

Socrates: Quid si usus quidem sis, male tamen et cum nocumento? Neque sic quidem.

Alcibiades: Non profecto.

Socrates: Cernis ergo tutum non esse aut quae offeruntur temere acceptare, aut optare, siquis propterea incommoda subiturus sit, vel vitam protinus amissurus. Multos autem referre possemus, qui cum tyrannidem affectassent, dumque

illa potirentur ardenti studio contendissent, utpote bonum aliquid adepturi, propter tyrannidem circumventi insidiis perire. Puto etiam audivisse te nonnulla heri ac nudiustertius gesta, cum Archelaum Macedonum tyrannum tyrannidis amantem delicias, aliquis huiusmodi delicias non minus quam ille sitiens interfecit, ut tyrannus mox beatusque futurus. Cum vero triduum aut quatrimum tyrannide potitus esset, rursus ab aliis ex insidiis et ipse oppressus periit. Ut autem referamus quae non ex auditu percepimus, sed ipsi nos praesentes inspeximus, vides insuper ex nostris civibus quicumque praefecturam exercitus affectantes nacti illam sunt, partim etiam his temporibus exules oberrare, partim morte damnatos esse. Etsi qui forsitan extremis periculis et timoribus aditis strenue rem gessisse visi sunt, non modo in ipso exercitu, verum etiam postquam in suas sedes rediere, non minoribus a sycophantis et calumniatoribus insidiis oppressi sunt, quam ab ipsis hostibus, ut plerique illorum optaverint denique se privatos vixisse potius, quam cum imperio. Quod si pericula et labores huiusmodi aliquam nobis utilitatem afferrent, profecto hoc studium non nihil rationis haberet. Nunc vero longe contra res se habet. Invenies praeterea eodem pacto nonnullos homines, qui filios votis exoptant: at cum filios adepti sunt, in calamitates doloresque maximos incidunt. Nam plerique, cum liberi per omnem aetatem improbi perseverent, universam vitam in maerore conficiunt. Qui vero probos filios nacti adverso quodam casu illis orbantur, nihilo minus quam superiores illi miseri sunt, ut prorsus praeoptarent numquam se filios genuisse. Et quamvis haec atque alia multa huiusmodi manifesta sint, raro tamen inveniretur qui vel a datis abstineret, vel si orando impetraturus esset, votum omitteret. Permulti etiam neque a quaesita tyrannide, neque a parta praetura, neque ab aliis innumeris, quae cum possidentur laedunt potius quam prosint, discederent, quin potius orarent sibi illa concedi,

siquando non adsint. Interdum breve post tempus praeterita vota damnant, ad contraria recurrentes. Quamobrem vereor equidem ne homines temere deos incusent, quasi mala ab iis inferantur: ii vero seu protervitate quadam sive insipientia sibiipsis dolores morte acriores pariunt. Quare prudens mihi videtur poeta ille qui, amicis insipientibus usus, dum eos videret et agentes et orantes quae illis minime conducebant, cum tamen eis utilia viderentur, pro omnibus sic ait: Iuppiter rex, optima quidem nobis et voventibus et non voventibus tribue; mala autem poscentibus quoque abesse iube. Recte igitur et caute loqui poeta mihi videtur. Tu vero siquid habes in animo, quod adversus haec proferas, ne sileto.

Alcibiades: Difficile est, o Socrates, in iis quae bene dicta sunt contradicere. Illud autem cogito, quantum malorum causa sit hominibus ignorantia: quandoquidem propter hanc nos latet, cum male quid agimus, et quod deterrimum est, ob eam pessima nobis quandoque precamur, quod quidem nemo putaret. Sed illud quilibet opinaretur, posse videlicet se sibiipsi non pessima, sed optima petere: hoc enim revera execrationis cuiusdam, non voti, simile esset.

Socrates: At forte, o optime, diceret quispiam te simul ac me sapientior, haud satis recte nos loqui, dum sic temere ignorantiam vituperamus, nisi haec adiiciamus, quaenam et quorum ignorantia sit. Quibusdam certo modo affectis bonum forte est ignorantia, quemadmodum aliis malum.

Alcibiades: Quid ais? Estne quicquam, quod alicui quomodocumque se habenti ignorare aliquando praestet quam cognoscere?

Socrates: Mihi sane videtur; numquid et tibi?

Alcibiades: Non per Iovem.

Socrates: Enimvero nec illud te adversus matrem patrasse umquam velle iudicabo, quod Orestem et Alcmaeona et siqui

tales fuere commisisse ferunt.

Alcibiades: Bene ominare per Iovem, o Socrates.

Socrates: Non decet, o Alcibiades, eum qui inquit te nolle ista fecisse iubere ut bene ominetur, sed potius siquis contraria diceret. Postquam facinus tam horrendum tibi videtur, ut ne pronuntiari quidem facile debeat, putas Orestem, si prudens fuisset et quid bonum sibi novisset, scelus tantum ausurum fuisse?

Alcibiades: Non certe.

Socrates: Neque alium, ut arbitror, ullum.

Alcibiades: Nullum.

Socrates: Malum igitur, ut videtur, ignorantia optimi, et quod optimum est ignorare.

Alcibiades: Mihi sane videtur.

Socrates: Nonne et illi, et ceteris omnibus?

Alcibiades: Fateor.

Socrates: Consideremus praeterea et hoc. Si in mentem tibi melius esse putanti subito veniat Periclem tutorem atque amicum tuum interficere, ac sumpto gladio ad fores illius properans interrogares num intus sit, volens illum duntaxat, nec alium quemquam, occidere, domestici autem illum intus esse responderent. Neque dico te quicquam huiusmodi conari, sed an videatur tibi, quod quidem nihil prohibet, ignorantia quid sit optimum, adesse posse interdum opinionem, ut iudices quod est pessimum nonnumquam optimum esse. An non tibi videtur?

Alcibiades: Omnino quidem.

Socrates: Ergo si domum ingressus vidensque illum, non tamen agnoscas, sed opineris alium esse, num ipsum perimeres?

Alcibiades: Non per Iovem, ut mihi videor.

Socrates: Non enim quem sors offerret, sed quem statueras, nonne?

Alcibiades: Profecto.

Socrates: Num et si frequenter facinus aggrediare, semper autem ignorares Periclem esse, umquam in eum irrueres?

Alcibiades: Numquam.

Socrates: Orestem vero putas umquam manus illaturum fuisse matri, si eam non cognovisset?

Alcibiades: Non arbitror.

Socrates: Neque enim ille quaecumque occurreret mulier, nec quamcumque matrem, suam duntaxat necare decreverat.

Alcibiades: Sunt haec vera.

Socrates: Itaque hominibus sic affectis, et in iisdem opinionibus involutis, ignorare talia praestat.

Alcibiades: Videtur.

Socrates: Vides iam quod ignorantia quaedam hominibus certo quodam modo dispositis bonum quoddam est, non autem, ut tibi videbatur, malum?

Alcibiades: Apparet.

Socrates: Praeterea, si volueris quod deinceps in medium afferetur mirabile dictu discutere, forte probabile tibi videbitur.

Alcibiades: Quid istud, o Socrates?

Socrates: Videtur sane ceterarum omnium scientiarum possessio, nisi quis scientiam optimi nactus fuerit, raro quidem prodesse, obesse plerumque illi qui sit huiusmodi scientiis praeditus. Sic autem considera: nonne necessarium tibi videtur, cum aliquid facturi vel dicturi sumus, oportere

nos prius quidem vel putare cognoscere, vel vere cognoscere quod promptius agere et loqui debemus?

Alcibiades: Mihi plane videtur.

Socrates: An non rhetores statim, cum vel sciunt consulere, vel saltem scire se putant, consulunt nobis passim, ii quidem de bello et pace, illi vero de moenibus construendis, vel de portubus praeparandis muniendisque, et, ut summatim dicam, quicquid ipsa civitas agit adversus aliam civitatem, vel secum ipsa, rhetorum consilio perficit?

Alcibiades: Vera narras.

Socrates: Vide et quae sequuntur, si fieri potest. Vocas aliquos prudentes, imprudentes alios?

Alcibiades: Voco.

Socrates: Et multos quidem imprudentes, prudentes vero paucos?

Alcibiades: Profecto.

Socrates: Nonne ad aliquid respiciens utrosque nuncupas?

Alcibiades: Immo.

Socrates: An eum qui ista consulere norit, nisi sciat docere utrum melius et quid melius, prudentem dices?

Alcibiades: Nequaquam.

Socrates: Neque, ut arbitror, quicumque pugnare norit, ignoret tamen quando et quantum melius.

Alcibiades: Sic est.

Socrates: Neque si quis quempiam perimere sciat et pecuniis spoliare ac exulem a patria facere, nisi sciat etiam quando et quem melius sit.

Alcibiades: Minime.

Socrates: Quicumque igitur horum aliquid noverit, modo adsit etiam scientia optimi (quae quidem eadem et utilis scientia est), hunc forte prudentem vocabis.

Alcibiades: Hunc ipsum.

Socrates: Prudentemque ipsum dicemus sufficientem esse sibi et patriae consultorem, imprudentem vero contra: quidnam tibi videtur?

Alcibiades: Idem.

Socrates: Quid autem si quis equitare aut sagittare sciat, vel palaestram, vel pugillariam, vel aliud quoddam certamen exercere, aut aliud aliquid eorum quaecumque per artem novimus, quo nomine appellas eum qui intelligit quid in arte melius fiat? an non secundum equestrem arte equitem, secundum pugillariam pugilem, tibicinariam tibicinem, atque in aliis eodem modo? an secus?

Alcibiades: Sic certe.

Socrates: Num tibi videtur qui horum aliquid intelligit vir prudens appellandus? an longe adhuc abesse?

Alcibiades: Longe per Iovem.

Socrates: Qualem igitur civitatem eam putabis, quae ex peritis sagittariis et tibicinibus athleticisque ac ceteris artificibus constet, sint insuper his quos diximus admisti militarem callentes artem, et qui ad interimendum prompti, necnon inflati ob civilium rerum administrationes; desit autem optimi scientia, et qui norit quando et ad quem unoquoque illorum uti praestat?

Alcibiades: Ignobilem, o Socrates.

Socrates: Maxime hoc, ut arbitrator, diceret, si quando cerneret unumquemque illorum ambitiosum, et plurimas sibi reipublicae partes in hoc occupantem, ut continuo ipsius se superet et plurimum valeat, plurimum inquam in illa quidem

dominandi arte, in eo vero quod sibi et reipublicae optimum est crebro hallucinante, quippe qui opinioni sine mente crediderit. Cumque haec ita se haberet, nonne recte diceremus hanc rempublicam tumultus quamplurimi iniquitatisque plenissimam?

Alcibiades: Recte per Iovem.

Socrates: An non necessarium nobis visum fuit primum quidem putare nos cognoscere, vel revera cognoscere hoc quod prompte facturi dicturive sumus?

Alcibiades: Visum est.

Socrates: Nonne, siquis agit quidem quod novit aut nosse existimat, addit autem scientiam optimi, sequitur ut utiliter agat, et sibi et reipublicae?

Alcibiades: Quidni?

Socrates: Contra vero nec reipublicae nec sibi?

Alcibiades: Ita est.

Socrates: Quid autem nunc tibi ita videtur, an aliter?

Alcibiades: Non aliter.

Socrates: Dixisti vocare te plures imprudentes, prudentes pauciores?

Alcibiades: Equidem.

Socrates: Dicimusne iterum plures ab eo quod est optimum aberrare, utpote qui opinioni absque mente, ut plurimum, consenserint?

Alcibiades: Diximus plane.

Socrates: Prodest igitur multis neque nosse quicquam, neque putare se noscere: siquidem promptiores erunt ad illa efficienda quae vel noscunt vel cognoscere opinantur. Agentes autem sibi nocebunt crebrius quam conferent.

Alcibiades: Verissima loqueris.

Socrates: Cum ergo dicebam reliquas omnes scientias, si absit scientia optimi, obesse saepius quam prodesse illas habenti, num recte loqui tunc tibi videbar?

Alcibiades: Et si tunc minime, nunc saltem, o Socrates.

Socrates: Oportet itaque civitatem et animam quae recte victura sit hanc proculdubio complecti scientiam, quemadmodum qui aegrotat medicum, et qui sine periculo navigare velit gubernatorem. Nam quo maiora animus sine hac scientia circa divitias, vel corporis robur, aut aliud tale conabitur, eo maiora ex iis peccata committi necesse est. Qui vero multis ac variis artibus et scientiis ornatus est, sit autem expers istius scientiae, ductus a singulis aliis, nonne merito multa tempestate iactabitur? quippe cum absque gubernatore oberret in pelago brevi tempore periturus. Huic certe convenire videtur illud poetae carmen, quo quendam vituperans inquit: Multa quidem noverat, sed male noverat omnia.

Alcibiades: At vero id poetae dictum quorsum attinet? mihi certe nihil videtur proposito nostro congruere.

Socrates: Immo quadrat penitus; verum per aenigmata et hic et ceteri ferme omnes poetae loquuntur. Est enim ipsa natura universa poesis aenigmatum plena, nec quivis eam dignoscit. Ad hanc illius naturam accedit, quod si quando insit in homine invido, nolente sua sensa ceteris hominibus revelare, mirum est quam difficile cognitu sit quod poeta senserit. Neque enim Homerum divinissimum sapientissimumque poetam ignorasse putes, quod scire male impossibile sit: ipse enim est qui inquit Margitem multa quidem scire, male autem scire omnia. Sed aenigmate sensum occultat, ut arbitror, male pro malum ponens, scit autem pro scire: unde compositio quaedam extra carminis mensuram conficitur. Quod vero sentit, hoc est,

multa quidem scivit, sed malum sibi fuit haec omnia scire. Patet igitur quod, si erat illi malum multa scire, ipse quoque malus erat, siqua fides supradictis sermonibus adhibenda est.

Alcibiades: Mihi certe videtur, o Socrates. Quibus enim verbis crederem umquam, nisi iis credam?

Socrates: Et recte quidem tibi videtur. Sed age per Iovem, videsne quanta qualisque sit in hoc ambiguitas? in hac ipse versatus esse videris: sursum enim deorsumque iactatus nusquam sane consistis, sed quod olim asseverabas nunc damnas. Si forte Deus, quem oraturus accedis, oculis sese tuis obiciens antequam voveas ita roget, an tibi aliquid ex iis quae in principio dicta sunt habere satis sit, vel tibi licentiam praestet quod libeat postulandi, quidnam tibi opportunum fore putares vel acceptare quae Deus offerret, vel poscere?

Alcibiades: Per deos, o Socrates, quid respondeam non habeo: sed insanum quiddam mihi videtur temere Deum precari, ac diligenter considerandum ne quis seipsum fallat, mala petens dum bona se putat orare, ac paulo post, ut tu dicebas, ad contraria vota se transferat.

Socrates: Nonne prudentior nobis poeta, cuius in principio disputationis mentionem fecimus, qui precabatur mala etiam ab orantibus abesse?

Alcibiades: Mihi videtur.

Socrates: Lacedaemonii quoque, o Alcibiades, sive hunc poetam imitantes, seu ex seipsis animadvertentes, idem votum tam privatim quam publice servant, orantes deos pulchra cum bonis sibi tribuere; nec plura illos precari quis audiret. Neque tamen ad haec usque tempora minus quam ceteri homines felices sunt. Siquid autem illis umquam minus prospere successit, non est oratio illorum in causa, quandoquidem in diis est, ut arbitror, quae precamur tribuere vel contra. Volo insuper aliud quiddam tibi referre, quod

aliquando a senioribus quibusdam accepi. Dicebant enim semper civitati nostrae accidisse, ut quotiescumque bellum Athenienses cum Lacedaemoniis gererent, nostri tum terra tum mari infortunati essent, nec victores umquam redirent. Qua re indignatos Athenienses, cum non haberent qua arte tantam calamitatem vitarent, decrevisse Ammonem consulere quam ob causam dii Lacedaemoniis potius quam Atheniensibus victoriam largirentur, cum ipsi tamen sacrificia tum plura tum decentiora quam reliqui Graecorum offerrent, simulacris donisque templa sic ornantes ut nulli alii, pompasque quotannis sumptuosissimas et venustissimas celebrarent, et omni sumptu qui ad rem divinam spectat cunctis Graecis magnificentiores existerent, cum Lacedaemoniis nulla esset istorum cura: adeo circa divinum cultum parcis, ut animalia mutilata passim mactarent, et in aliis omnibus ceremoniis longe admodum parciorebus quam Athenienses, cum tamen opum magnitudine a nobis non superetur. Posteaquam haec dixisset nuntiis, interrogans quo pacto a praesenti calamitate liberari possent, non multa ad haec respondisse prophetam: Deum enim non permittere; accersito vero Atheniensium legato in hunc modum fuisse locutum. Haec dicit Ammo: placere magis Lacedaemoniorum sibi acclamationem quam reliquorum Graecorum sacra omnia; nec plura iis respondisse. Acclamationem vero nullam prorsus aliam Deus mihi dixisse videtur quam illorum preces; etenim revera permultum illae a ceteris differunt. Reliqui namque Graeci, partim auratis cornibus boves sacrificantes, partim donariis egregiis templa ornantes, quaecumque occurrunt seu bona sive mala a diis petunt. Dii vero, cum illos imprecantes audiunt, ditissimas illorum pompas et sacrificia non acceptant. Quamobrem diligenter considerandum mihi videtur quid dicendum sit, quidve non dicendum. Invenies quoque apud Homerum alia horum similia. Inquit enim Troianos, cum suburbanum aedificium molirentur, dicare diis

immortalibus pretiosa sacrificia centum boum; nidorem vero ex litore suavem ad caelum usque ventis extolli, sed beatos deos illo minime vesci, quippe quibus Ilion et Priamus et Priami populus odio esset. Itaque nil Troianis proderat, cum adversos deos haberent, sacra ac munera temere illis offerre. Neque enim eiusmodi est dei natura, ut ducatur muneribus quemadmodum improbus faenerator. Sed nos nimium deliramus, siquando nos Lacedaemoniis propter munera acceptiores Deo esse ducimus. Etenim grave esset si Deus ad donaria et sacrificia nostra respiceret potius quam ad animum, utrum iustus sanctusque sit. Ad quem equidem Deum arbitror multo magis attendere quam ad multi sumptus pompas atque sacra, quae nihil prohibet eum qui multa in Deum hominesque peccaverit, seu privatus sit sive respublica, singulis annis perficere. Deus autem, utpote a muneribus incorruptus, spernit haec omnia, ut ipse eiusque propheta praedixit. Unde perspicuum est et apud Deum et apud homines sanae mentis iustitiam et prudentiam praecipue honorari. Prudentes autem iustique sunt qui sciunt quae erga deum et homines agere atque dicere deceat. Cupio tamen ex te audire quid in iis ipse sentias.

Alcibiades: Mihi vero, o Socrates, haud secus quam tibi ac Deo videtur: neque enim fas esset a Deo me dissentire.

Socrates: Recordaris dixisse te in plurima dubitatione discrimineque versari, ne teipsum falleres, cum mala quandoque pro bonis optares?

Alcibiades: Memini.

Socrates: An vides non satis tutum tibi esse ad orandum pergere, nequando te Deus audiens imprecantem ista tua sacrificia renuat, aliud vero quiddam fortuitum reportes? Mihi ergo videtur operaepretium esse quietem agere: nam oratione Lacedaemoniorum propter magnanimitatem (id enim nomen honestissimum est omnium quibus insipientia significatur)

non existimo uti te velle. Quare necesse est expectare donec discatur quemadmodum ad Deum atque ad homines habere se deceat.

Alcibiades: Quando erit, o Socrates, et quis praeceptor? Iucundissime enim hunc hominem, quisquis erit, agnoscam.

Socrates: Hic est cui tu curae es. Verum mihi videtur, quemadmodum Diomedis Minervam inquit Homerus ab oculis nebulam abstulisse ut discerneret Deum ab homine, sic et ab animo tuo prius oportere caliginem qua nunc offunditur auferre, deinde illa propius admovere per quae seu bonum quid sit sive malum dignoscas; nunc enim impos esse videris.

Alcibiades: Auferat seu nebulam ille velit, sive quodcumque aliud. Etenim paratus sum nihil penitus praetermittere quod ille praeceperit, quisquis denique sit, modo ipse sim melior evasurus.

Socrates: Atqui ille mirum in modum tibi providet.

Alcibiades: In illud itaque tempus hoc sacrificium differre optimum fore censeo.

Socrates: Et recte quidem: tutius enim est quam tanto periculo se subiicere.

Alcibiades: Sic est, o Socrates. Interea tamen, quoniam mihi boni consuluisse videris, hanc tibi coronam imponam. Diis autem et coronas et reliqua omnia quaecumque decet tunc demum offeremus, cum diem illam adventasse cognovero. Adventabit autem quamprimum, diis volentibus.

Socrates: Accipio et hoc, et quodcumque datum abs te mihi praeterea fuerit libenter video, cum abs te accepi. Quemadmodum vero Creon apud Euripidem, videns Tiresiam coronatum et audiens primitias coronam propter artem a militibus accepisse, ait: Augurium esse ducebam triumphales coronas, in tempestate enim versamur, ut ipse nosti; sic et

ego hanc abs te coronationem augurium esse duco. Videor
autem mihi non minori quam Creon tempestate iactari,
studeoque omnium amicorum tuorum victor abire.